

D. CYPRIANI KINNERI,

Silesii,

COGITATIONUM DIDACTICARUM

Diatyposis summaria;

*modestæ ac liberæ*

Omniùm piè-Eruditorum Censuræ

exposita:

*quam brevi excipiet*

Horum omnium,

*& imprimis*

Paradoxorum & Obscurorum,

*si quæ subesse videbuntur,*

Elucidarium;

Cogitationesquè istas

*feliciter in actum deducendi*

Consilium.

---

Anno Christiano M DC XLVIII.



philos. C.

11,33<sup>h</sup>

## Ad LECTOREM benevolum.

**Q**uomodo mihi enati sint *Aphorismi* isti *Didactici*, accipies brevi: cum hi denuò aliã induti veste, hoc est, peculiari **ELUCIDARIO** ab omni paradoxia, obscuritate, & impossibilitate vindicati, tibi sistentur ob oculos. Ibi & istud, & plura alia, volente **DEO**, informaberis: censuramquè liberalem roga-beris; quisquis es, *Lector* philodidaëte. Quòd verò seorsim nunc eorundem *editionem* anticipem, ideò fit: ut quia *Elucidarii* perfectio & in molem spe amplio-rem excrescit, & alias inopinatas experitur remoras, habeam interea *Copias*; quas exposcentibus communicem amicis: & quantillum id est, tuam quoque antici- pet notitiam: tequè ad *censuram* maturiorem paulatim disponat. Non enim animus est, misso in publicum *Elucidario* ulterius quicquam in hiscè tentare: nisi priùs, operæ pretium id futurum esse, piè eruditorum virorum con- stet suffragiis. Horum namque *censuris* stare ac cadere, imò & perire, debent (prout merebuntur) mea omnia. Scias autem hæc brevicula in antecessum: eò tendere *Didacticas* meas *Inventiones*: ut sine omni violentã *ediscentiã*, sine *usitatorum librorum farragine*, sine *dicendi cacœthe*, per mera ferè *sensu- alium rerum subsidia*, *Colloquia*, *Exercitiaquè* seria & ludicra, cuncta scitu necessaria instillentur discipulis; tali (ut confido) *firmitudine*, ut nihil facile memoriã excidere; tali *certitudine*, ut nemo solidè ea oppugnare; taliq; *ple- nitudine*, ut nihil necessariorum & utilium (præsertim domesticorum) magno- perè desiderari queat. Adhæc tam *simpliciter*; ut omnes *Ætates*; omnia *In- genia*, omnesquè *Sectas*, indifferenter admittat. Nihil enim proponit: nisi quod propriis *Sensibus*, tanquam *Ens* aliquod, formaliter quis capere; *Notionibus* sibi innatis, tanquam *Verum*, apprehendere; *Instinctibusq;* congenitis, tanquam *Bonum*, expetere valeat. Cujus *Methodi aptitudinem*, *possibilitatem*, omnem- què *processum*, brevi (quod dixi) repræsentabo in *Elucidario*. Interea sagaci- bus rerum æstimatoribus, succinctã brevitate gaudentibus, hæc lineæ, spero, suffici- ent. Hi enim plura intelligentes, quàm legentes, quid in recessu sit, facile pervi- debunt; & ex ungue isto leonem nullo agnoscent negotio. Bene vale.

AUTHOR.

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden

## Cum bono DEO.

**E**GO scopum DIDACTICÆ Scholasticæ trinum facio; PIETATEM, ERUDITIONEM, & PRUDENTIAM CIVILEM.

Mus der  
Schloßbibliothek zu Oels  
1885

cuilibet Gradui certa *Pensio* unà cum *Informatio*, pro  
avis lectione *Discipulis*, faci-

s; *Avocationem* ab amo-  
rii; & *Exercitationem* in

es, & *Honores*; *Amor proprius*,  
em, *Spem*, & *Obedientiam*.

gnifacere, mox ab Informa-  
di sunt *Discipuli*: inque ista  
solùm per omnem *Informati-*  
detinendi.

6. ERUDITIONI adsequendæ *ter trinos* constituo *Gradus*; *tres* pro  
*Rebus* cognoscendis; *tres* pro *Vocibus* formandis; *tres* pro *Cõceptibus*  
dirigendis.

7. *Rerum*, in certas *Classes* distribuendarũ, doceo *nosse* *Signaturas*, *Stru-*  
*cturas*, & *Energias*: ut sciãt *tirones*; *quid Res sint*? *quid habeãt*? *quid faciãt*?

8. *Vocum*, *vernaculè* prius de *Rebus* pronunciandarum, doceo *formare*  
*Figuras*, *Constructionem* in integram *Lingvam*, *Lingvæquè* constructæ  
*Usum* ad *polyglottiam*: ut sciãt *Discipuli*, *animi sui sensa* cum absentibus  
communicare: ac vicissim *cogitata absentium* participare: & quicquid uspi-  
am humanæ ac divinæ *sapientia* latet, ex antiquis & neotericis *Scriptori-*  
*bus* eruere.

9. *Conceptuum*, *Rebus* scitè applicandorum, doceo *dirigere* *Processus*  
*Inventivos*, *Judicativos*, & *Ordinativos*: ut sciãt *Auditores* *Ignota* e-  
investigare, *Dubia* enodare, *Confusa* ordinare.

10. *Primo* itaque (quod dixi) *Eruditionis* *Gradu* explico *Rerum* *Signa-*  
*turam*: quã *Res* cognoscendas, *Sensibus* oblatas, *maternã* *lingvã* *nomino*: *sin-*  
*gularum* *exteriorem* *habitudinem*, tam *totalem*, quã *particularem*, *triplici-*  
*bus*

## Cum bono DEO.

**E**GO *Scopum* DIDACTICÆ Scholasticæ trinum facio; PIETATEM, ERUDITIONEM, & PRUDENTIAM CIVILEM.

2. Cuius *Scopo* attingendo certos *Gradûs*, & cuilibet *Gradui* certa *Pensa*, & singulo *Penso* certas *Lectiones*, adsigno: unâ cum *Informatorio*, pro *ordinandis* Scholarum *Classibus*, & *alloquendis* quâvis *lectione* *Discipulis*, *facilitandisque* *Lectio* *impresionibus*.

3. PIETATI implantandæ *tres* pono *Gradûs*; *Avocationem* ab amore *Mundi*; *Resignationem* amoris *proprii*; & *Exercitationem* in amore *DEI*.

4. *Amor Mundi* sub se continet *Voluptates*, *Opes*, & *Honores*; *Amor proprius*, *sapientiam*, *Potentiam*, & *Vitam*; *Amor DEI*, *Fidem*, *Spem*, & *Obedientiam*.

5. *Illâ* igitur fugere, *istâ* vilipendere, *hac* magnificere, mox ab *Informationis* initio docendi, ducendi, & ad *vefaciendi* sunt *Discipuli*: in quæ *istâ praxi*, (observatis tamen *praxeos gradibus*) non solum per omnem *Informationis*, sed & totius *Vitæ*, consequentiam studiosè detinendi.

6. ERUDITIONI adsequendæ *ter trinos* constituo *Gradûs*; *tres* pro *Rebus* cognoscendis; *tres* pro *Vocibus* formandis; *tres* pro *Cõceptibus* dirigendis.

7. *Rerum*, in certas *Classes* distribuendarû, doceo *nosse* *Signaturas*, *Structuras*, & *Energias*: ut sciât *tirones*; *quid Res sint?* *quid habeant?* *quid faciât?*

8. *Vocum*, *vernaculè* prius de *Rebus* pronunciandarum, doceo *formare* *Figuras*, *Constructionem* in integram *Lingvam*, *Lingvæ* quæ constructæ *Usus* ad *polyglottiam*: ut sciant *Discipuli*, *animi sui sensa* cum *absentibus* communicare: ac vicissim *cogitata absentium* participare: & quicquid uspiam *humanæ* ac *divinæ sapientiæ* latet, ex *antiquis* & *neotericis* *Scriptoribus* eruere.

9. *Conceptuum*, *Rebus* scitè applicandorum, doceo *dirigere* *Processus* *Inventivos*, *Judicativos*, & *Ordinativos*: ut sciant *Auditores* *Ignota* *investigare*, *Dubia* *enodare*, *Confusa* *ordinare*.

10. *Primo* itaque (quod dixi) *Eruditionis* *Gradu* explico *Rerum* *Signaturam*: quâ *Res* cognoscendas, *Sensibus* oblatas, *maternâ* *lingvâ* *nomino*: *singularum* *exteriorem* *habitudinem*, tam *totalem*, quàm *particularem*, *triplicibus*

bus *Accidentibus* describo : & unamquamlibet differentiali aliquo *Charactere*, uno vel pluribus, distinctè apprehendere doceo.

11. *Naturalia* in vivo *Natura* libro ; *Artificialia* in operariis *Artificum* officinis ; utraque insuper in repræsentatiis *Scholarum* repositoriis , *vivida*, aut *sculpta*, (actiosa tamen,) aut minimùm *pieta*, commonstro : *Divinas* verò res, quantum earum scire expedit, è *Sacrâ Scripturâ* adduco & dilucido.

12. Denique *Signaturam* unius rei cum alterâ conféro : ostendoquè, quæ *Res totaliter* ferè ; vel *secundùm certos respectûs* plus minusvè ; vel etiam *nullatenus*, *Signaturis* convenient : ut ita *exterior* illarum *conformitas* vel *difformitas* distinctiùs innotescat : firmiùs animo inhæreat : aditusquè struatur ad rimandam æqvè *conformem* vel *difformem* *Structuram*.

13. *Secundo Gradu* explico *Rerum* *Structuram* ; & primùm quidem *Analyticè* : *Rem* quamlibet , è *Signaturâ* exteriori cognitam , in *Partes Integrales* ; & *Naturalia* insuper in *Partes Essentiales* & *Accidentarias*, resolvendo : ut ibi *Cohæsiõis mechanica* artificium, hîc *Mixtionis elementaris* proportio, ipsarumquè simul *Signaturarum exteriorum* fons, ob oculos sistatur : ratioquè reddi possit *Corporaturæ*, *Durabilitatis*, & *Effectivitatis*, in singulis *Rebus*.

14. Dehinc *Syntheticè* : ad oculum quasi ostendendo ; quomodo & *Natura*, & *Ars*, & *DEUS* ipsemet, *Res* ( quisque nimirum suas ) producat , *intensive*, *perfectivè*, & *defectivè* : ut *imitari*, *perficere*, ac *transformare*, quilibet addiscat ; quicquid *licitum*, *utile*, & *necessarium* fuerit.

15. Tandem & *Syncriticè* : comparando *Rerum* cum *Rebus* *Structuras* : monstrandoquè, quæ *Res Principiis activis* & *passivis* ; quæ *Partibus organicis* ; quæ *Structurâ integrâ*, plus, minus, nullatenusvè, concordent : ut sic *interior* earum *similitudo* vel *disimilitudo* patefcat : viaquè ad indagandas exinde *Energias similes* aut *disimiles*, recludatur.

16. *Tertio Gradu* explico *Rerum* *Energiam* : primùmquè *generaliter* doceo ; è *Signaturâ* & *Structurâ* sic e vestigatis, *simulquè*, *sumptis*, singularû *Rerum* (& *Naturalium* quidem , prout à tali vel tali *Spiritu animata* ; *Artificialium*, prout ab *Artifice* sic vel sic *usurpata* ; *Divinarum*, prout ab *Homine* aliter atquè aliter sibi *applicata*, fuerint ) *Vires* ; & à viribus excitatos *Motûs* ; & à motibus productos *Effectûs* ; ipsosquè adeò *Usûs Macrocosmicos*, venari.

17. Dehinc *specialiter* expono : quas *Energias* eadem *Res* *speciatim* conferant *antitypo* suo, *Homini*, omnium *Dominatori*, *Domitori* ac *Moderatori* : & quomodo ipsi conducant ad *Victum* & *Sanitatem*, ad *Amictum* & *Habitationem*, ad *Oblectationem* & *Informationem*.

18. Tan-

18. Tandem *specialissimè* repræsentò : quomodo unus iste *Homo* cunctarum *Rerum Macrocosmicarum Energias* in se contineat : & ad quamvis earum *intelligendam, emulandam, ac transformandam*, variis *Facultatibus* instructus ; adeoque verè *Microcosmus*, & *Macrocosmi* istius (imò *Creatoris* ipsius) *Imago* sit.

19. Quarto Gradu doceo *Vocũ vernacularum* *Figurationem*, figuratarumq; *pronunciationē* : informando *Discipulos* ; quomodo primùm *Lineolas*, è quibus *literæ* formantur ; hinc *Literas* singulas, è *lineolis* istis conflatas ; tandem & *Syllabas*, è *literis* pluribus collectas, *formare* ; formatas illicò *pronunciare* ; pronunciatasq; in *libellis* diversorum *typorum* hinc inde *inquirere* debeant ; factâ ubivis à *simplicioribus* *facilioribusq;* *lineis, literis, ac syllabis*, per *compositiores*, ad *compositissimas*, *progressione*.

20. *Exercitatis* in *Syllabificatione* ad *extemporaneam* usque *promptitudinem* *Discipulis*, *integras* nunc *Dictiones*, *observatâ* eâdem *simplicitatis* *facilitatisq;* *gradatione, pingendas* *pronunciandasq;* *propono* : tamquè diu huic *exercitio* *immoror* ; dum quamvis *vocem* *expeditè* *scribant* & *legant* ; non ex *antitipo* tantùm *exemplariter*, sed & *remoto* *exemplari* *memoriter*.

21. Et quia *Numeri Arithmetici* subeunt *vicem* *Vocum numerantium* : itaq; & *illos ipsos* *pingere*, *pictosquè* *efferre*, non solum *singulos*, sed & in *seriem* *quandam* *redactos*, (quod vulgò *Numerare* *vocant*) eâdem *operâ* *addoceo*.

22. Quinto Gradu doceo *Vocum vernacularum*, *seorsim* sic *cognitarum*, *Constructionem* in *integram* *Lingvam* *sermone* ac *scriptione* *adornare* ; idq; *materialiter*, *formaliter*, & *contextualiter* : ibi *Voces* singulas in *congeneres* *Classes* *coacervando* ; isthinc singulas *Classes* ad *structuram* *legitimam* *exasciando* ; hinc *Materiam* sic *exasciatam* in *unum* quasi *Ædificium* *redigendo* & *erigendo*.

23. *Materiali* *Constructioni* *destino* *Lexicon Exemplare* : in quo primùm *Radices* *omnes* ac *singulas* (sive sint *Flexibiles*, sive *Inflexibiles*, sive etiam *Particula adjectitiæ*, utrisque illis *proponi* ac *postponi* *solitæ*,) *recenseo* *parisyllabicè* : sic ut ubivis *Monosyllaba* *præcedant*, *sequantur* *Bisyllaba*, *extremum* occupent *Trisyllaba*, si quæ *adsunt* ; seorsim verò è *Flexibilibus* *agmen* *ducant* *Nomina*, *medio* *loco* *incedant* *Verba*, *agmen* *claudant* ab *utrisq;* *participantia* *Participia* ; quæquè tandem *istarum* *postremarum* *Vocum* *eandem* *Flexionis* *agnoscunt* *ideam*, *simul* *ad* *unum* *stent* *omnia* ; *juxta* *tamè* *Terminationũ*, *Generũ*, *aliorumq;* *Respectuũ*, *diversimodam* *prerogativam* : Dehinc *Regulas* *aliquot* *trado* ; quomodo è *Primitivis* & *Simplicibus* *illis* *Thematibus* *in-*

numeræ aliæ Voces, ad exæquandam Rerum Conceptuumque seriem, harmonicè derivari ac componi; radicalisque significatio iisdem omnibus accommo- dari; & quænam taliter derivata ac composita voces, ad quas Radicum illarum Classes analogas, pro futuro Flexionis usu, referri debeant.

24. **Formali Constructioni** ad signo **Directorium Grammaticale**: quo **Classium** istarum **Lexicarum** singulos **Ordines**; eademque operâ **Vocum Flexibilium, Inflexibiliũ, & Adjectivarũ, Discrimina, & omnimoda Accidentia**, breviculis **Regulis** concretè explico: ostenso, qualiter singulas **Classes flexibiles** (aliter quidem **Nomina**, aliter **Verba**, aliter ex utrisque, quæ in hac, illâ istâ, classe extant) **inflecti**; & quomodo sic **inflexarum Vocum** unam alteri **copulari** in **Phrasin**; & è **phrasibus** porro **Sententias**, ex his **Periodos**, ex istis **Pericopas**, verbis propriis, **synonymis**, ac **tropicis**, fieri, pro sequentis **Textus** adornatione, oporteat.

25. **Contextuali Constructioni** nuncupo **Textum Historialem**: quo **universas** totius **Lingvæ Voces**, radicales ac radicatae; cunctaque **Flexionis, Connexionis, & Transnominatiõis** earundem artificia, unius perpetui **Discursus** seu **Historia** formâ sic exhibeo: ut omnia simul **Realia Pensa**, ab **Informatiõis** initio sparsim hucusque proposita, **junctim** nunc, & scitâ **Rerum** cujusvis classis **coordinatione**, omnimodoque **Sermonis charactere**, exprimat ac repetat: habitâ ubivis **Sententiarum, Periodorum, & Styli** ipsius, gradatione, proportione, & delectu accurato: sic ut **prima Textus** pars constet **Sententiis & Periodis** brevioribus, **Styloque** humili ac proprio; **altera** his omnibus mediocribus; **tertia** illis prolixioribus, hoc sublimiori ac florido.

26. **Sexto Gradu** doceo **Lingvæ Vernaculæ Usum** ad **polyglottiam**: ostendèdo, quomodo **materna** cujusvis **Nationis Lingvæ** (quæ se etiâ invitis nobis, si qua peregrina addiscèda est, **magistrâ & legislatricem** obtrudere solet) **dux & norma** esse possit ac debeat omnium **peregrinarum**, ad submovèdas earundem inter sese **emulationes, perficiendarum**, cumque **Rebus & Conceptibus** omnigenis **exæquandarum, & compendiariò addiscendarum**: & quàm proclive nunc sit; præcognitis **vernaculè** quibusvis **Lingvarum artificijs**, (puta, quid sit **Radix, Vox Derivata, Composita**; quid **Terminatio, Flexio, Syntaxis**; quid **Phrasis, Sententia, Periodus, &c.**) quamvis aliam **Lingvam** apprehendere: qualique **strategemate** id speciatim in **Latinâ Lingvâ** (consequenter & in aliis **eruditis ac popularibus Lingvis**) tentandum sit.

27. Huc ergò, præmissâ (ubi opus) **Scriptoriâ & Lectoriâ** informatione, eadè **accomodo Instrumenta** **Lexicon, Directorium, & Textum**; illud scilicet

cct

cet earundem planè *Classium*, istud earundem prorsus *Regularum*, hunc eorundem penitus *Verborum ferie*, ductu *Vernaculorum* illorum, *Latine* adornando: siquè *idioma* alicubi ab hac vel illà *Regulâ* (verbi gratiâ, in *Derivando*, *Flectendo*, *Connectendo*, aut quibusvis *Idiotismis* aliis) discrepet, per modum *Exceptionis* vel *Observationis*, suis passim locis monendo: istoquè *parallelismo* vel decuplò faciliùs, quàm si citra hunc esset, *Lingvam* instillando.

28. Septimo Gradu exerceo Auditores in *Conceptibus Inventivis*: monstrando, quomodo debeant *Rem* aliquam, si *ignota* sit, investigare, *An* sit, vel non sit? si *lateat*; evestigare, *Ubi* sit, vel non sit? si *nondum* sit; excogitare media, *Ut* sit, seu esse possit.

29. Octavo Gradu exerceo eosdem in *Conceptibus Judicativis*: docendo, quomodo *Rem*, de cuius *existentiâ* jam constat, examinare, hoc est, *probare ac reprobare*, debeant; tum, *Quid* ea sit, vel non sit, tam in *seipsâ*, quàm in *respectu* ad res alias; *Cur* item, & *Quomodo* id ipsum sit, aut non sit, quod esse videtur; adeoque an *vera* vel *falsâ* sit? tum *quid*, *cur*, & *quomodo* res illa quid habeat, vel non habeat; *faciat*, vel non *faciat*; *patiatur*, vel non *patiatur*; adeoque an simpliciter sit *honestâ* aut *necessariâ*, *utilis* aut *jucundâ*, *possibilis* & *facilis*, ac per consequens *expetendâ* & *faciendâ*; vel econtrariò *inhonestâ* & *nō necessariâ*, *inutilis* & *injucundâ*, *impossibilis* aut *difficilis*, sicquè *fugiendâ* & *omittendâ*? tum denique, *an*, & *quâ parte*, aut *quâ ratione*, res illa *magis minusve* quid habeat, vel non habeat; *faciat*, vel non *faciat*; *patiatur*, vel non *patiatur*, quàm alia: adeoque in *consideratione* ad aliam rem, sit *magis minusve* *honestâ* vel *inhonestâ*, *necessariâ* vel *nō necessariâ*, *utilis* vel *inutilis*, *jucundâ* vel *injucundâ*, *possibilis* vel *impossibilis*, *facilis* vel *difficilis*, *expetendâ* vel *fugiendâ*, *faciendâ* vel *omittendâ*?

30. Nono Gradu exerceo ipsos in *Conceptibus Ordinativis*: informando, quid de quâlibet *Re prius posteriusve* cogitandum, loquendum, & scribendum sit? siquè *confusum* quid occurrat, qualiter id redigendum in *ordinem*? in *specie* verò, quâ serie *Conceptus* illi *Inventivi* & *Judicativi* scitè disponi in formam *Epistolæ*, *Discursus*, vel *Orationis*; *Disputationis*, *Consultationis*, vel *Systematis* integræ alicujus *Disciplina*, debeant; idque *methodo*, (prout res exigit) *syntheticâ*, *analyticâ*, & (juxta recentiores quoque) *syncreticâ*.

31. Utque *in* istius *Methodi* notabile existet *Exemplum*; eademque operâ omnia

omnia



omnia Eruditionis *Pensa, Realia, Verbalia, & Conceptualia*, uno quasi obtutu lu-  
strari possint: *Rerum* omniū, in *Differentiis* suis hucusq; *seorsim* consideratarū,  
*Concordias & Discordias*, & quosvis *Respectūs* alios, tribus *Columnis* perpetuis,  
*parallelè* ab initio ad finem usq; decurrentibus, per *Notiones primas ac secun-*  
*das*, ipsosq; adeò *Artium terminos*, repræsentabimus: ostenso, qualiter omnia  
*Naturalia*, instar *Arboris* cujusdam, in *Radice* convenient; eundem *Succum*  
participent; & tantummodò, ceu *Rami*, quæquæversus diffusi, invicem dif-  
ferant: adeoq; ad unam generalem *Ideam* primitus facta sint, & adhuc fiant;  
eorumq; ad normam *Artificialia*, & ipsa quoq; *Mystica*, procedant: siq; *diffe-*  
*rentia* aliqua circa *Specialia* in hac vel illâ *Classe* occurrat, illam vel à diver-  
so *Principiorum hypostaticorum* concursu, vel diversâ *Organorum* fabricâ, vel  
diversâ *Agentis* intentione, provenire: adeoq; nihil esse in *Physicis*; cui non  
unum quid, aut plura *analogia*, reperiantur in *Technicis* ac *Mysticis*: siq; non-  
dum constent; ad illorum ductum adhuc dum in- & evestigari debere.

32. Cui *SYSTEMATI harmonico triuni, PHYSICO - TECHNICO - MY-*  
*STICO*, omnes *Disciplina*, quotquot unquam excogitatae sunt, aut in poste-  
rum excogitabuntur, quoad generales suas *Ideas implicitè* inerunt: & *expli-*  
*citè*, si cui libeat, inferi ac subordinari queunt: ut inde pateat; quæ *Disci-*  
*plina* è quibus natae, & quibus cognatae? quænam aliis perfectiores & præ-  
stantiores? quot item & quales adhuc inveniri, & juxta quas *Speciales Ideas*  
ordinari opus sit, ad complendam *Physicarum* operationum analogiam.

33. *PRUDENTIÆ CIVILI* comparandæ tres serviunt *Gradūs*; *MO-*  
*rum* exteriorum decens habitus; *Idonei vitæ generis*, privatim de-  
gendi, delectus; & *Officii publici* (si quod offeratur) ritè administrandi  
peritia: quæ omnia ac singula probè edocendi *Discipuli*.

34. *Mores* debent esse *elegantes, honesti, ac graves*; tam in *vultu, gestuq;*  
reliquo, quàm *sermone*: & alii quidem *Ætate* vel *Sexu*, alii *Vita genere* vel *Of-*  
*ficio*, alii *Meritis* vel quibuscunq; aliis *Respectibus*, parium vel imparium.

35. *Vitæ genus* debet esse cujusvis *genio ac ingenio*, interdum & *reipu-*  
*blicæ occasionibus*, accommodatum: sic ut quò *Genius* unumquemlibet invi-  
tat, & *Ingenium* vires pollicetur, & quandoq; *publica* cogit *Necessitas*, in deli-  
gendo habeatur respectus: cum non è quovis ligno fiat *Mercurius*.

36. *Officii administratio* (sive ea fiat *docendo* in *scholâ & templo*; sive *curân-*  
*do* aliorū *negotia & valetudinem*; sive *tutando* aliorum *fortunas & vitam* in *cu-*  
*riâ*, & quovis alio *tribunali*: ) debet esse *dextra, fida, & conscientiosa*;  
adeoq; abesse *imperitia, dolus, & quævis culpa* alia.

F I N I S.

Philos. b. 211, 33 h